



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 83. Catholici in Transylvania oppressi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII. suos conflent: Monuit etiam Clericos, A. C. 1666. ut in testamentis condendis ea bona, quæ potissimum ex Dei cultu, Ecclesiæ proventibus, & pauperum eleemosynis receperunt, denuo ex testamenti dispositione, majore saltem ex parte ad eosdem revolvant.

Indixit quidem idem Episcopus Synodum Diæcesanam ad feriam tertiam post Festum S. Gereonis, cui tamen ipse aliis distentus negotiis non interfuit, omnia vero, quæ in prioribus sancita fuere, confirmari curavit.

§. LXXXIII.

Catholici in Transylvania oppressi.

Sub idem tempus Sophia Georgii Ragotsii II. Transylvaniæ Principis defuncti Vidua Conjux e Calvinæ caligine in lucem Catholicæ veritatis traducebatur, ringentibus hæreticis Hungaricis qui non modo præfatum Georgium Principem ante obitum suum, sed et super ejusdem Filios ejurata secta cum Ecclesia Romana conjunxisse indignabantur: Acrius adhuc eos pupugit Carmen Epithalamicum in gentilitiam Principis Ragotsii gladiatam in hereses aquilam, quod Joannis Antonii Serinii Moderator typis ediderat eo tempore, quo Franciscus Ragotsius Petrus

Petri Serinii Comitis Filiam duxit: Sæc. XVII.
A. C. 1666.
 Postquam vero Sophia insuper Catho-
 licam fidem in suis ditionibus propa-
 gare, strenue cæperat, Calvinistæ inde
 in rabiem acti, extrema potius perpeti,
 quam Catholicæ religionis incremen-
 tum tolerare decreverunt: eapropter
 apud Michaelem Abassium Transylva-
 niæ Principem, acerrimum Calvi-
 nianæ sectæ Fautorem questi, eundem
 instigarunt, ut jactato Sultani man-
 dato Ragotios non modo ex tota sua
 ditione, sed ipso etiam Principatu ex-
 turbare aggrederetur: Jamjam ino-
 pino impetu Schambliensem Ragotio-
 rum arcem interceptit, suoque trecen-
 torum præsidio firmavit, junctaque
 cum ceteris Calvinistis opera nil in-
 tentatum inausumque reliquit, ut Ca-
 tholicos omni, quo posset modo oppri-
 meret, & quamvis a Cæsare manda-
 tum extorsisset, vi cujus Sophia re-
 formationem sistere, sectæque liberta-
 tem relinquere jubebatur, nihilominus
 Catholicos & Ragotios durius habere
 haud cessavit: Tandem ergo Cæsar ho-
 rum calamitatem misertus, Kaszonio
 Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ
 Canonico negotium dedit, ut suo no-
 mine Fogarasi apud Abassium intercede-
 ret, ne utpote justitiæ Minister, ac pa-
 triæ Pater Catholicos subditos suos,
 eorum-

Sæc. XVII. eorumque Sacerdotes a furiosis Calvinisticis turbati, opprimi, lædi, ac contumeliis affici pateretur, sed potius permetteret, ut sub ejus regimine Vicarius, Episcopus, ceterique Ecclesiastici Superiores libere suos inferiores Sacerdotes utpote receptæ Religionis Ministros regere, ac cum illis quiete & tranquille vivere valerent, necnon incolæ ad instar aliarum receptarum religionum liberam exercendæ religionis suæ facultatem haberent, nec ab aliis sub quovis obtentu vexarentur: Verum ad justam hanc Cæsaris petitionem surdas habuit aures Calviniana rabies, odiumque in Catholicos prævaluit.

§. LXXXIV.

Alexandri VII. Pontificis decretum circa Attritionem intra Sacramentum & penitentiam.

Vid. supra l. 204. §. 92. pag. 674. Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 324.

Cum hoc anno in Duacensi Universitate summa animorum contentione ageretur hæc quæstio, *an attritio ex metu pænæ concepta peccandi voluntatem excludens cum spe veniæ, intra Sacramentum penitentiam sufficiat?* hinc Alexander VII. majora mala inde oritura veritus, die quinta Maii in Generali Congregatione Romanæ Inquisitionis sequens